



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

41. An S. Willibrordus solùm semel iuerit Romam, an bis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO XLI.

An S. Willibrordus solùm semel iuerit Romam,  
an bis.

**S** Vpposuit aduersarius illum solùm semel iuisse, scilicet, Archiepiscopalem consecrationem dum iret periturus. Produci pro ipso possunt 1. quæ præcedenti differtatione fuere obiecta; sed soluta sunt: actum non agemus. 2. historia profectiois, qua habetur versus Frisios rectà nauigasse; non ergo Romam. 3. Alcuinus in vita S. Willibrordi non habet nisi vnã profectio- nem S. Willibrordi versus Romam, nempe dum Archiepiscopus nominaretur. Sic etiã Marcellinus in vita Sancti Swiberti Coapostoli & Coepiscopi Sancti Willibrordi.

Quarto, si Roma adeunda fuisset ad Pontificis placitum & benedictionẽ imploranda, cur ipse & socij non rectà ex Hybernia Romam transfretarunt? cur tot terrarum laboriosos circuitus frustra fecerunt? frustra tot fluctibus coluctati sint? cum longe commodius ex Hybernia in Italiam soluissent.

Respondetur, obiecta nullius momenti esse; ea, & quæcumque obijci possunt, tersissimè expungit Venerabilis Beda, qui cap. 12. historiæ binam profectioem versus urbẽ disertissimè exprimit, vt non nisi insanus fidem auerterit: vnã initio ingressus in Frisiam, alteram dum in Episcopũ electus, consecrandus eò pergeret. Secundi Argumenti antecedens verum est, attamen historia profectiois nõ negat postquam in Frisiam appulerunt, aliquem saltem illorum nomine cæterorum Romam perrexisse pro gratia

Apostolica

Apostolica obtinenda. Quid alij dum Willib. in itinere esset, egerint, incertum est. vide supra diss. 36. Fateor etiã Marcellinũ illũ & Alcuinum, huius primę professionis Romã versus non meminisse; non tamẽ ideo dicendi sunt negasse aut ignorasse, sed potius eam supponere, tanquam quæ esset & faciliẽ crederetur necessaria. Quin etiam hæc narratio eorum proposito non multum seruiabat. Marcellino illi tantum scopus fuit vitam & acta S. Swiberti nobis tradere. Cum ergo hæc profectio ab ipso peracta non sit, quid opus eam vitæ Swibertinę inserere? præsertim cum author ipse fateatur se peculiari libello vitam S. Willibrordi conscripsisse, in quo non dubito quin eius recordetur, quia ad honorem Willibrordi non parum spectabat, tum quod in propria persona ea legatione ad Pontificem functus sit, tum quod illa ipsi tantum eminentiori & in rebus agendis magis industrio à confocijs vnanimi voto imponeretur.

Alcuinus ( quemadmodum ipsemet in sua præfatione ad Beroardum Archiepiscopum profiteretur ) solum studuit vitę sanctitatem, mores, & miracula Willibrordi conscribere; Vnde cum illud iter ad integritatem vitæ, mores & miracula non propriè pertinuerit, minime curæ illi fuit scripto cõsignare. Adde apud Alcuinum breuitati studentem tam hîc quã alibi multa de Willib. omitti. Idem dicendum de Beca, Heda, qui Catalogum Episcoporum contexerunt & maxime intenderunt eorundẽ vitas breuiter perstringere. Quantumcumque verò hi taceant, tanto luculentius illud loquitur V. Beda.